

Olivarius Phaedriae salutem !

‘Tertium’ dicis, ‘tertium’ istum montem ascendere immo oppugnare conaris ! Angor animo, fateor, lacrimaeque sponte affluunt, me quattuor conatum meorum memore. At certe Musas ipse precor ne diutius palmas litterarum gladiatricibus aut martyribus tributas exspectes. Tantum laetitia futura quantum maeror tuus meus erit quoque. Sed simul ego ac tu umbras dubitationum ac timoris depellamus : perge quasi puella tam diligens quam ingenua gradum facere ! In fidem non mei qui servus earum sim sed Musarum te confer securam : fac ut quodque periculum (vel examen) imminens a te quasi summa gratia optimumque superorum donum accipiatur. Pro certo habe te non meliora argumenta sorte electuram fuisse. Ita te candidatam honestissimam praebebis. Nunc vero non plura verba faciam ne molestus nimisque gravis homo tibi videar, cara amica. Tantum hoc unum : tam in Gallia quam in Europa minimi homines aetatis tuae mihi noti sunt qui Latine scribere non solum audeant sed etiam ut tu sciant. Quare iam certus est Musarum favor erga te, quidquid mox accidet.

Denique, quoniam lyra mea tibi placet, hos versos tibi mitto spe motus eos tibi quamdam animi pacem adlatueros. In his ultimis gradibus non omnino sola es, Phaedria, neque eris post rerum praesentium exitum.

Ergo in proximum, hic, hoc in foro aut privatim.

Vale quam optime, fortissima litteratrix !

Perpiniani dabam, d.VII m.Jun. a.MMX.